





b.24,22.QK.XXIV,22.



IN OBITVM
LLVSTR ISSIMI,
OTENTISSIMI QVE PRIN-
pis ac Domini, Domini AVGVSTI, Ducis
Saxonie, Sacri Romani Imperij Arehimarschalli,
& Electoris Septemuirii, &c. pie in Christo
defuncti II. die Februarij, anni salutis
feri partus 1586.

ενδεκασύλλαβον.

Ad testandum ex grato animo, suum cum
communi, luctum, annexo pio voto,
scriptum, ad

LLVSTR ISSIMVM
OTENTISSIMVM QVE PRIN-
pem ac Dominum, Dominum CHRISTI A-
NVM, Ducem Saxonie, Sacri Romani Impe-
rij Archimarschallum & Electorem Se-
ptemuirum, Landgrauitum Thus-
ringiae, Marchionem Misniae etc.
Dominum suum cle-
mentissimum.

A
Ioachimo VVigman, Perlenbergensi,
tunc temporis Vicario S.S. Virginum in
Ecclesia Merseb. Cathed.

IN LIBRIS
IMMORTALIBUS
SAPIENTIAE PRE-
AGEAS TANDEM
HABET



Nunc Germania plangat vniuersa,
Nunc Ecclesia plangat vniuersa,
Veræ Religionis, atq; pacis,
Omnes, Iustitiæq; amantiores,
Nunc plangant simul: Omne namq; cœlum
Toto quicquid & est in orbe luget.
Splendorem inuidet, & negat dici
Sol, nocti variabilisq; luna.
Nullum vidimus & dies per hosce
Sidus, condoluit quasi omnis orbis.
Naturæ seriem, modumq; rerum
Contra omnem, modò non remittit illa
Ingens asperitas, nocensq; frigus
Cœli, sed magis indies grauescit.
Gruis, ciconia, cæteræ & volucres
Vt tardant redditum & nec, vt solebant
His in temporibus, volunt replere
Saltus lætitia atq; cantilenis &
Flores nec virides videntur agris,
Sulci seminibus vacantq; prorsus.
In squalore iacent creata cuncta.

Regni namq; trahentis abs Iulo
Ortum, non minimam, ah dolor, columnam
Mors destruxit atrox, & interemptus
Est Augustus, in Optimatum eorum
Septem, quos penes est creare Regem,
Romani Imperij, Sacra corona,
Heros præcipuus, decusq; magnum.

Qui cum Mauritio Duce atq; Frat: c:
(Quem dum pro patria gerebat arma

A 2 Scopeti

Sclopeti iaculo, peremit hostis
Infensus, nec ad huc apertus) Albis
Et Salæ sinuosæ, vtrasq; ripas,
Ferme lustra nouem, manu potentí
Tractu non modico, tuendo rexit.
Fortem Saxoniæ domumq; , in orbe
Omni, tempora multa, iam celebrem,
Cum magno moderatus est honore.
Multo reddidit & potentiores.
Multo reddidit & celebriores.

Qui vrbes, ruraq; Mysniæ superbæ
Thuringos etiam, feraci in agro,
Frugum copia, quos facit potentes,
Legali Imperio, quod est in omni
Mundo magnificè celebre, texit
Legum tramitibus, sacrifici normis,
Dum Sacri Imperij gerebat Enses,
Per sex lustra, ferè & quoad per orbem
Totum sunt quater octies repleta
Lunæ cornua luce non manente.

Qui ne Iudicijs obesset illa,
Quæ communiter est opinionum
Doctorum variatio, pepercit
Nullis sumtibus & labore nullo:
Sed componere Constitutiones,
Iuxta consilium peritorum,
Decreuit salubres, quibus per omnes
Partes, quicquid erat vel implicatum
Explanauit, & omne quod morari
Posset iustitiæ executionem ,

Dimouit

Dimouit, vehementer hoc laborans
Ut virtus tribuens suum cuiq;
Absq; omni violatione salua
Seruaretur, & obtainere possent
Parui, non minus ac potentiores,
Ius æquabile, iuris exequendi
Formæ essent faciles, & expeditæ.

Qui tutando bonos erat benignus:
Pœnis afficiendo sed malignos,
Iudex iustus, & acer Executor
Sacræ Iustitiæ, nihil reorum
Aut insigni peruetusta, magnam
Aut gazam reputabat, in nocentes
Si sententia erat ferenda, propter
Immanis sceleris coërtionem.

Qui gliscente noua mali tumultus
Causa, dissidioue suscitato
Quouis, Teutonicos vel inter ipsos
Heroas, nihil & nisi arma, cunctis
Iam clamantibus, expertibusq;
Externo aut lachrymabiles tyranno
In nostrum populum minante clades,
Vt Germania tota iam periclis
Est plena tumultuum nocentium:
Horrendusq; si erat timor suprema
Imis funditus esse destruenda:
Præstans dexteritate consulendi,
Et mentis quoq; perspicacitate,
In rebus dubijs: opem & ferendo
Duris temporibus potens, peritus

A 3 Casus

Casus ambiguos benè æstimandi,
Majestate valens, habensq; certum,
Quod Concordia, Paxq; præferenda
Sit bello, licet hoc sit excitatum
Causa legitima, geriç; possit
Vi, læsos monuit, monensq; suasit
Sanis Consilijs, (amore pacis)
Pacis commoditatibus, Deiç;
Vera cognitione, maius esse
In mundo nihil, aut image expetendum.
Ardentes odijs, amore Martis,
Quis Discordia, summa erat voluptas,
Et nil, triste, nisi, nocensq; bellum
In mensisq; torisq; queritabant,
Tractabantq; , parentiam per illam,
Qua diuinitus atq; singulari
Ille ornatus erat modo, coëgit,
Inuiti rabidis ut abstinerent
Armis: Sic moderatus est quietè
Dum Regni Ausonijs gerebat Enses,
Et dum vita fuit sibi superstes.

Qui conamine maximo studebat,
Christi dogmata, quæ viam salutis
Veræ, sola docent, furore quoquis
Ne corrumperet Antichristus iste,
Qui gestare vices Petri Beati
Sese iactitat, insolensq; multos
Errores docet. atq; adhuc tuetur
Multis in regionibus rota, igni,
Cunctis supplicij, necisq; formis.

Hunc

Hunc Augustus adhuc repressit usq;
Hic dum viueret: anxiè laborans,
Ut Gentes, quibus ipse præsidebat,
Purum dogma Dei, simulq; pacem
Ius æquabile singuliq; haberent.

Sed quis dinumerabit vniuersa
Nostræ, commoda quæ Ducis fuere?
Quam multum vtilis hic fuitq; Princeps
Quid nobis modo mors ademit atrox?
Quid nobis scelera abstulere nostra?
Idq; his temporibus periculosis:
Dum blasphemæ Deo caterua summo,
Et nobis inimica, quod colamus
Christi vulnera, sola, pro salutis
Humani generis Redemtione,
Immenso studio, furore summo,
Et conamine sumtuosiore,
Hostes, castraq; multa congregarunt,
In nostrum exicum, greges inermes,
Qui nos maxima pars sumus, cruento
Hosti, nil nisi præda deuoranda:
Augustus quibus ille tutum Asylon,
Altum præsidiumq; erat, Dei dum
Clementis miseratio sinebat.
Hunc nobis modò mors ademit atrox,
Hunc peccata tulere nostra multa.

O mors quale bonum breui sub hora
Nobis inuida tu modò abstulisti?
Hei peccata bonum quod abstulisti?
Dudum si quid erat dolore dignum,

Hic



Hic casus lachrymisq; fletibusq;
Est dignissimus. At dolor perennis,
Cladi, nec lachrymę medentur isti.
Peccantisq; dolor, relictus absq;
Confidente Dei Benignitati
In nos gratuitæ, reuersione
Ad Christum, nihil est nisi perennis
Mors, ipsum exitiumq; sempiternum.

Augustum nihil & iuuat dolere,
Augusto nihil acciditq; triste.
Sed nunc illius à labore corpus,
Et mens anxietate liberata
Est ex continuaq; maximaq;
Christi, Sp̄itus & quiescit vlnis.
Non amissus enim sed ante missus
Est, ad perpetuæ beata regna
Vitæ, cælituumq; iam cohorti
Est mistus, fruītur beatiori
Iam regno, sine fine quod manebit.
Augustoq; erit absq; fine nomen.
Ipsum pierides canent perennes,
Gratè posteritasq; prædicabit.

At nos pœna manet, malumq; magnum,
Ah nos pœna manet, maliq; multum.
Terræ Scuta Deus, quia auferendo
Exardere docet suam modò iram,
Pœnis pro meritisq; constitutis,
Mox instare diem, periculorum
Est mutatio quælibetq; plena.

Sed

Sed pœnas meritas , mala & futura
Ut auertere , mitigationem
Aut possimus habere tollerandam :
Omnes vnanimes , ab intimo q̄
Corde confiteamur , & fleamus
Vnusquisq; suas iniquitates :
Nec non configiamus ad perennis
Thronum propitiationis illum
Christum : Qui Deus est , homoq; verus ,
Æternus Deus , ex Deo perenni ,
Pura virgine matre homoq; verus :
In cœlo sine matre , patris expers
Interris homo , sic Gygas duplex ,
Vnum Individuum , duabus , omni
Vnitis sine mixtione , formis ,
Omnem præter & alterationem
Iunctis : Factus obediens Patri qui
Est , & mortuus ob redemtionem
Nostram , gratuita benignitate ,
Et mero miserante nostri amore ,
Passus vulnera dira , postq; mortem
In dura crucis arbore alligatus ,
Tandem conditus & nouo sepulcro ,
Diuinaq; potentia resurgens ,
Nunc cœlo residens homo , Deusq;
Verus , cum Patre Spirituq; , regnans ,
Quæ cœlo , mari , humoq; continentur ,
Pro nobis sine fine deprecatur ,
Nostras audit & inuocationes ,
Ad patremq; refert , facitq; gratas

B

Et



Et ratis: Quia factus est sacerdos,
Iuxta Melchisedecis institutum,
Nobis perpetuus, iubet, docetq;
Nos orare sine hæsitatione:
Iurandoq; probat Patrem daturum
Quod nam cunq; rogabimus per ipsum.
Cùm sitq; à patre constitutus, omnis
Rex terræ, Dominus potensq; cœlo,
Nos defendet ab omnibus periclis,
Hic dum nos superesse ei placebit.

Nunc ergo vnanimes præcemur omnes
Nos, namq; eripiet necessitate
Ex omni, rationibus, modisq;
Quos nobis melius scit expedire.

O æterne Deus, Dei Parentis
Æterni soboles, Dei patris de
Æterna Deitate, natus ante
Hic quām mundus erat, Benigne Iesu,
Vnus cum Patre, Spírituq; Sancto:
Qui nos ipse doces, iubesq; Patrem
Exorare tuum, sacro atq; sanctè
Nobis pollicitans, velis quod esse
Nobiscum, quoad hic caducus orbis,
Vallis tristitiæ, atq; lachrymarum
Consumatur, & optimè pericla,
Quæ nos vndiq; duriter fatigant,
Nostris, quantus & hostibus furor sit,
Per te, tute vides: Fatemur omnes,
Offendisse tuum Patrem Benignum,
Nos eius meritos furorem & esse,

Deberiq;

Deberiqp nihil, nisi omne, nobis
Pœnarum genus, & reiectionem,
Ad flamas Phlegetontis, & Gehennæ,
Ex nostris meritis. Sed ô Iesu:
Cùm sis cum Patre, Spirituqp Sancto,
Æternum, Miserans, Amans, Benignum,
Patrem quoqp sua Benignitate
Magna, pœniteat citò malorum
Quæ nobis miseri patrando praua,
Sponte accersimus, est bonus quia ipse
Fine omni sine, magnitudo pœnae,
Ergo nulla placens ei est voluptas.
Sed delectat eum cor intimore,
Quod sperat Miseratione in eius,
In quauis, & opem, necessitate,
Eius solius inuocat, ferendo,
Instandoqp fide, quoad & voluntas
Vult sancta illius, audit & petentes,
Præstò estqp auxilio, iuuans iuuatqp
Pro placente sibi modo, dieque.
Intercede igitur, Benigne Christe,
Pro nobis apud optimum Parentem,
Impetratoqp liberationem,
Aut saltem, O Pie, mitigationem
Pœnae, quam meruere facta nostra.
Nobis ne dominantur, opprimant nec
Nos hostes numero & furore grandes.

In primis pie Christe redde Regem
Nobis, qui pietatis atqp pacis.
Nec non iuris amans sit, & tueri,

B. 2 (Ipsi,

(Ipsi, te tribuente vim decentem)
Nos contra rabiem tot impiorum
Hostilem queat, & Pater fidelis
Sit nostræ patriæ, pius, bonusq.

Ac cùm sit bona spes, quod inclitus Dux
Augusti soboles, piusq; Princeps
Est qui nomine, req; Christianus,
In nostris Regionibus capesset
Sceptra singula quæ pater reliquit.

O tu Natae Dei, manu potenti,
Qui mundum moderaris vniuersum,
Regum pro libitu mouesq; corda,
Transfers imperiumq; ab hac ad illam
Gentem, pro placito tuo potenti:
Illum respice Principem benignè
Vultu propitio, Tui sit ipsi
Præstò Gratia Numinis Sacrati,
Perfectumq; Tui Patris, Tuiq;
Ipsum cognitio fac, Timorem
Iustum serua in eo, Tuiq; amore
Pacis, Iustitiæq; ditiorem
Ipsum reddito. Veritatis almæ
Sit semperq; tenax, ab hac nec vngue
Discedat tenuis, ullius vel ira
Perductus, vel amore fascinatus.

Nil quod Biblia sacra non loquuntur,
Admittat fidei laboriosa
In pugna, quia sicut ipse dicis,
Mendax omnis homo est, potestq; falli
Deceptor satagitq; habere possit

Vt

Vt multis similes opiniones
Erroresq; sui asseclas parare.
Assertoribus, asseclisq;, nulli
Errores caruere, nec carebunt,
Hic, donec fragilis manebit orbis.
Omnes namq; sumus malo aptiores.
Ergo sermo tuus, Benigne Christe
Sit certissimus, omnibus magister
Solus Principibus, sit vna norma
Cunctis, relligionis afferendæ.

Non exactio Principi voluptas
Sit, non absq; graui necessitate
Subiectis populis & indicetur.
Nequaquam supra modum exigatur,
Est Pastoris enim boni pecus quod
Iusto tempore tondeat decenter.
Lacte emungat in hora ad hoc statuta.
Non deglubat oues, capras, & hædus,
Emungens nimium elicit cruorem,
Nec durare potest modum quod ultra
Fit, & sunt violenta vix diurna,
Et crimen, nimium fit omne, prauum.

Susurro, ardolioq; proditorq;
Ex omni merito arceantur aula
His nunquam pateant Regentium ambæ
Aures, his tribuant fidem nec vnquam
Solis. Insidias struit malignus
Ingentes Satanæ dies per omnes,
Magnis Principibus modisq; multis.
In hos vtitur & suis ministris,

C Vanis

Vanis , nugiferis , malisq; fucis ,
Per hos in simulantur innocenter
Per quam s̄apē boni , p̄ij , atq; honesti ,
Magnoru m scelerum atq; iniquitatum ,
Quæ nunquam innocuæ fuere mentis ,
Et sic s̄apē boni , p̄ij , innocentes ,
Iniustè obijciuntur in pericla .

Quamuisq; eripiat Deus tuendo
Iustos mirificè , suam malignis
Persoluat quoq; Retributionem :
Saltem sanctaç Veritas præmatur
Non possit tamen opprimi , & triumphet ,
Tandem : Iustitiam & Deus suorum ,
Ad lucem ferat omnibus videndam :
Ast quandoq; tamen p̄ij , boniq;
Iniustè patiuntur , opprimuntur
Vi , Regesq; Ducesq; polluuntur .
Iusto sanguine , magna iniquitate ,
Ex falsa in simulatione fucūm .

Qui propter meritò ô Benigne Iesu ,
Obtrectator & impius malarum
Nugarum sator , auferantur aulis :
Istis nec pateant Regentium aures .

Irae præcipitis , nec & tenacis
Sit Princeps nimium , quia impeditur
Ira , nequeat vt videre verum .
Multos pœnituitç , pœnitetç
Indulsiisse nimis furori , & iræ .
Et , sententia lata per furorem ,
Quod mandata sit executioni .

Vis

Vis, iniustitia, & fames sacra auri,
Quæ plœrunq; trahunt ab his, ad illas
Gentes Imperium, remota longè
Nostrī Principis exulent ab Aula.

Illos Consiliarios honoret,
Horum consilium sequatur vltro,
Qui vera Sapientia, Timore
Iusto conspicui, Dei, & probati
Sunt, Quorum quoq; veritas agendo,
Dicendoq; diu est probata, quos nec
Auri sacra facit fames ineptos,
Ipsos esse coarguitq; prauos.
Hi labris aliud loquuntur, imis
Quām quod pectoribus latet, nihilq;
Exquirunt aliud, domi refertam
Quām quòd ipsi habeant pecunia arcam.
Hinc cuncta ad placitumq; aiunt, aguntq;
Regum pernicies, gregumq; pestes.

Tales ne dederis, Benigne Christe,
Vllis Principibus, tuo & gubernā
Sancto Numine, Gratia foueç;
Augustum, Venerabile & stupendum
Nostrum Synnedrium, cui regendo
Heroës modò præsident Honesti,
Quos toto faciunt in orbe claros,
Et Caros, Pietas, Fidesq; Candor,
Et vitæ Integritas, Benignitasq;
Iuris, Iustitiæ tenacitasq;
Hos & tempore quos dabis futuro,

C 2 Sancto



Sancto Nume, Tu tuo gubernia
Conseruataq; diu Benigne Christe.

Vsuraria prauitas, sit aula
Hac damnabilis, indecens viroq;
Qui verè bonus esse, non videri
Vult saltem, publicæ rei & gerendæ
Verè commodus, vtilisq; regnis.
Omnis principium mali est auarus.
Vsurarius est peorq; fure.

Et cùm non hominis sit, imperare
Tam multis populis, tuum sed illud
Sit donum auris vt audiat, videre &
Possit recta oculus: Benigne Christe:
Vires subiçce Principi nouello,
Daq; illi sapientiam regendi,
Et largire potentiam exequendi,
Quæ sunt recta, tuum iuuantq; Regnum.
Omnes Principis huius actiones
Vt laudes celebrent tuas: sub ipso
Atq; Ecclesia tristis, & columba
Imbellis tua, quæ tuo redemta est
Sancto sanguine, tutum habere possit,
O Iesu hospitium, quo ad redibis,
Immarcessibilem ferens honoris
Militantibus anxie hic coronam.

Et tu Saxonicae Domus propago
Augusti Generosa Stirps, relicta,
Conseruataq; salua singulari
Nobis gratuita & benignitate
Æterni Patris: Ecce conuolant nunc,

Ad

Ad te Saxonicae Domus alumni,
Et Thuringiacos agros colentes,
Et Mysneidos elegantioris,
His vicinaq; Gens Episcoporum
Quondam subdita legibus sacratis:
Hi cuncti, vnanimesq; singuliq;
Se nunc subiiciunt Tibi regendos
Vltro, est in Regionibus nec hisce
Vllus, qui bonus est, cuiq; cordi
Est æterna salusq;, Paxq;, Iusq;,
Quin Tibi putet esse obædiendum,
Præ cunctis reliquis, in orbe toto
Qui sunt, Principibus: Quia vniuersi
De Te concipiunt opinionem
Hanc certam, quòd eos reges secundum
Christi dogmata pura, Iusq; scriptum,
Et quòd pacis amans eris beatæ.

Hinc vni Tibi nunc patent apertæ
Vrbes, claustraq; cuncta, ciuitates.
Hinc omnes Comites & Optimates
Omnis Nobilitas, viri boni omnes,
Clerus, cum populis & vniuersis,
Intentos oculos habent in vnum
Te, Te, postq; Deum colunt, amantq;
Tutum præsidium. Precamur omnes
Ut nos suscipias tuam sub umbram,
Regni Magnifici & Sacros sub Ensēs,
Heros Rutiger, Ensiferq; fortis.
Iurando Tibi nos sumus parati
Deuincire, Tibi dare atq; nomen.

C 3 Ergo

Ergo macte veni, veni cito, omnem,
Illustrissime Christiane Princeps,
Adsis præter & hæsitationem.
Adsis, suscipias & offerentes
Se Gentes Tibi, Te sibi & vicissim
Optantes habeant ut obligatum.

Solum namque licet per os Clientum,
Iuramenta fidelitatis illa
Prætentur, tamen obligant vtraspec
Partes, cum Domino simul Clientes.
Ergo macte veni, veni citò adsis.
Rex noster, Dominus, Paterque noster.
Illustrissime Christiane Princeps.


Nec deterreat Amplitudo Regni
Te, Molimina vel negotiorum,
Quod plenissima sint grauissimarum
Curarum: Moderator ipse namque
Hec qui sic fieri, Deus, volebat,
Scit dare, atque potest, ut impleantur.

Nos omnes erimus Tibi obsequentes
Semper, sique necessitas requirat,
(Auertat tamen hoc Deus Benignus)
Nemo corpus, opesque sanguinemque
Pro te fundere denegabit vñquam,
O Dux Inclite, qui tuis futurus
Es & nomine, reque Christianus
Princeps, & Patriæ Pater Benignus.

Qui vitæ dator, atque longitudo
Est nobis, Deus, omnibus dierum,
Det Princeps Tibi, detque Principissæ

Con-

Coniunctæ Tibi coniugali amore
Brandenburgiaco satæ Parenti
(Qui Illustriſſimus optimusq; nunc eſt
Annis, & Sapientia, atq; Vitæ
Prælustrī Integritate, Maximorum
Heroum, modò ſunt qui in orbe toto
Quos ſolos penes inclita eſt facultas
Romanum Dyodema conferendi,
Author pacis, amorq; ſingularis:
Qui Natale mihi ſolum gubernat)
Illi ipsiſ quoq; det Pater perennis,
Detq; Heroioliſ, Duciffuliſq;
Vestrīs pignoribus pudici amoris
Delectabilibus, dies & annos,
Tot quo Nestor habebat aut Sibylla:
Natorum videatis vsq; & vsq;
Natos, omnibus & beatioris
Vitæ gaudia det perennis, Amen.



D R E S D Æ
Imprimebat Matthæus Stoeckel.

M. D. LXXXVI.
18. Martij.

Vergessen

ACHTUNG

Liesung aus der Nachmitteilung

W.D. XXXII


he

X 2205946

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ITVM
RISSIMI,
MIQVE PRIN-
AVGVSTI, Ducis
mperij Arehimarschalli,
ri, &c. piè in Christo
ruarij, anni salutis
1586.

Ιλλασον.
O animo, suum cum
annexo pio voto,
n, ad.

ISSIMVM
VM QVE PRIN-
nimum CHRISTI A-
e, Sacri Romani Impe
& Electorem Se-
d grauium Thus-
em Misniæ etc.
suum cle-
imum.

n, Perlenbergensi,
o S.S. Virginum in
b, Cathed.

Vc
2952